


P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.



DISPUTATIO XVI.
PARITERQUE ULTIMA.
EXERCITATIONVM ETHICARVM
DE
VOLVPTATE.

*Ex libro septimo & decimo Ethicorum Nico-
machiorum depromta,*

Quam
DEO DVCENTE ET DOCENTE
In Illustri Academia VVitebergensi

PRÆSIDE
M. HENRICO VELSTENIO,
Philosophiæ Moralis Professore Publico
defendendam suscipiet

FRIDERICVS LYSERVS
Brunsnigâ-Saxo.

5. Mart. horis locoq; consuetis.

SVMMA ETHICÆ:

Præsit νόμος; sed pareat
λόγος appetitus sensuum.
Non quod libet; sed quod licet;
Non quod licet; sed quod decet.

Witebergæ typis Mullerianis, 1608.



CLARIS. ET EXCELLENTIS. VIRIS.
DN. M. ADAMO SIBERO
Oratoriae in Almâ Academia VVitteber-
genſi Profefſori Publico.

DN. M. FRIDERICO TAUBMANO
Humanitatis ibidem Profefſori
Publico.

DN. M. IOHANNI VVANCKELIO
Historiarum ibidem Publico
Profefſori.

*Dominis patronis & præceptoribus ſuis omni ob-
ſervantia cultu & aſſiduo colendis,*

ORNATISSIMO ITEM ET DOCTISSIMO
IUVENI M. POLYCARPO LYSERO. S. S.
Theologiæ Studioſo in Academia Tubin-
genſi fratri ſuo chariſſimo.

Hoc ἀγώνισμα Ethicum
In grati animi ſignum,
Perpetuæ obſervantiæ argumentum
Et ſynceri amoris teſtimonium,

OFFERT
DICAT &
CONSECRAT

Fridericus Lyserus Reſpondens,

CONTINUATIO.



Octavam doctrinam moralem, quam in decem istis libris Nicomachiis Philosophus pertractat, ad quatuor precipue κεφάλια referri posse, ipse auctor est lib. 10. c. 6. Primum est de Beatitudine & felicitate Politica, quae est tanquam finis huius doctrinae de moribus: & de hac agitur lib. 1. & in fine decimi libri. Alterum est de virtute, tanquam causa efficiente Beatitudinis: de qua agitur in lib. 2. usque ad caput 11. libri septimi. Tercium est de amicitia, quae virtuti cognata est: de qua 8. & 9. libro pertractatur. Ultimum denique est de voluptate, quae est individua comes & socia Beatitudinis, de qua agitur partim in fine libri septimi, partim in principio decimi.

Quia ergo haecenus, ubi quidem Philosophus noster pedem impresserat, ibi eius vestigia legimus, & sic, praeeunte nobis eo Duce & antesignano, tria ista priora capita antegressis velitationibus haut infeliciter expedivimus: nunc cum eodem, quae res bene vortat, & postremum hoc caput, quod est de voluptate, quasi in propero transcurso, strictim & breviter expediemus. Non enim plenè suis partibus defunctus est Ethicus, ubi virtutes & vitia pellustravit, quin etiam communia ista virtutum moralium obiecta penitus contemplari ipsum quam maxime concernit. Ad rei enim plenariam cognitionem requiritur, ut non saltè ipsa in sua essentia cognoscatur, verum etiam ut essentiam comitantia intelligantur. Zab.

1. Anal:

A 2

Thesi,

THESIS PRIMA.



Voluptas, inquit Philosophus, est perfectæ operationis subsequens signum. ἡδονὴ ἐστὶ τελείας ἐνεργείας ἐπιγεόμενον τέλος, Arist: 10. Nicom. cap. 4.

II. Quæ sententiâ Philosophi probè trutinatâ, nihil aliud est voluptas, quam perfectio operationum, benè ab animalibus, potentia objectum suum, in suo genere optimum, sine impedi-

mento percipiente, administratarum, vi quadam jucunda pol-
lens. Acciaolus in 10. lib. Nicom. c. 4. p. 843.

III. Hæc definitio in Formæ, causæ Efficientis & Subiecti nos ducit cognitionem.

IV. 1. FORMÆ Generis ambitu continetur. Est enim voluptas secundum naturam & essentiam suam perfectio quadam operationum, cum suavitate eximia coniuncta.

V. Aliter tamen potentia cum objecto, & aliter voluptas operationem perficit. Arist. l. d.

VI. Potentia cum objecto perficit operationem ut efficiens causa & essentialiter: voluptas verò operationem perficit, ut causa formalis, (ut pote in existens operationi) accidentalis tamen, seu ut ἐπιγεόμενον τὸ τέλος, id est, ut finis aut forma quædam adventitia. Ibid.

VII. II. Causa Efficiens voluptatis in Brutis est sensus. In hominibus vel sensus, vel Intellectus cum objecto.

VIII. Nam, ut tum perfectissima fit operatio, quando potentia, id est, vel sensus, vel Intellectus saluus est, beneq; dispositus: & quando in objectum præsens conveniens ac in genere suo optimum sine impedimento agit: Ita tum etiam perfectissima generatur voluptas Arist. ibid. Golius l. 10. c. 4. pag: 359.

IX. Ex quibus hosce subinferimus canones, quos infra in questionibus plenius discutiemus.

X. 1. Tamdiu durat vigetq; voluptas illa, quamdiu potentia in objectum conveniens tali modo operatur & objectum ipsum perdurat. Aristot. ibid. Petrus Martyr Class. 2. loc. Com. cap. 2. pag. 330.

XI. 2. Voluptas vel interit, quando potentia cessat operari: vel fit debilior, quando objectum potentia suæ vilescit. Ibid.

XII. 3. Nul-

XII. 3. Nulla voluptas est perpetua, cum nulla potentia sensus & intellectus continuè valeat operari. Cessante itaq; sensus vel intellectus functione, voluptas cessat & definit. Ibid. Vide infra quaest. 9.

XIII. 4. Voluptas ex quibus oritur, ex iisdem quòq; conser-
vatur.

XIV. 5. Nova initio magis plerumq; delectant, quam vulgaria trita & quotidiana. 1. Quia in res novas magis est intentus animus: siquidem magis istae arrident, ad se alliciunt, & acrius potentiam ad operandum commovent. Quò autem operatio perfectior, eò maior est voluptas. Ex thesi 8, 2. Facultas agendi adhuc est integra, quae postea paulatim fatigatur & fit remissior. Arist. ibid.

XV. 6. Voluptates quæq; rarissimæ maximè delectant; sed si quis modum excesserit, suavissima quæq; fiunt molestissima. Epictetus.

XVI. 7. Non solum omnes homines; sed & omnia animalia voluptatem experiscunt. Quia enim omnia vitam amant, idcirco & voluptatem quoq; amant, quae videtur quasi vitam perficere: quandoquidem ipsa vita est actio quaedam. Unde Cic. l. 2. de Nat. Deorum ait, Is qui nihil agit, omnino non esse videtur. Arist. ibid.

XVII. III. Subjectum voluptatis aut est remotius aut propinquius. Illud sunt animalia tam carentia, quam ratione prædita. Ex præcedenti canone. Hoc sunt sensus vel Intellectus. Et hactenus de definitione voluptatis.

XVIII. Coeterum voluptatum specie differentium varias divisiones (operationum enim specie distinctarum species quoq; distinctae sunt voluptates Arist. 10. Ethic. c. 5.) proponit Philosophus 3. Nicom. c. 10. & 11. 10. Nicom. c. 5. & 7. Nicom. c. 4. è quibus nos pro ratione nostri instituti aliquas recensebimus.

XVIIII. I. Alia voluptas est animi, alia voluptas corporis. 3. Ethic. c. 10.

XX. Animi voluptas est, quæ animum suavi aliqua commotione afficit.

XXI. Hæc percipitur. 1. Ex cognitione rerum & contemplatione. 2. Ex conversatione & colloquio amicorum. 3. Ex adeptione earum rerum quas expetimus. Vide antegressam disputationem nostram 8. quaest. 1.

XXII. Corporis voluptas est, quæ ex rectæ rationis præscripto naturæ necessitati satisfaciens corpus & sensus nostros incun-
da ali-

aliqua commotione afficit: Estq; quintuplex secundum quinque sensus: Alia enim percipitur ex visu: alia ex auditu: alia ex odore: alia ex gustu: alia ex tactu.

XXIII. Neq; enim hic quamvis corporis voluptatem intelligimus (nihil enim commercii nobis est cum ea, de qua Cic. lib. i. de legibus inquit, quod sit imitatrix boni, malorum omnium mater; cuius blanditijs corrumpantur, quae natura bona sunt.) sed veram voluptatem exprimimus, quae duobus hisce limitibus circumscribitur.

XXIV. 1. Ut per eam naturali necessitati satisfiat, sive in conservatione individui, ut in cibo & potu &c: sive in conservatione speciei, ut in actu venereo, alijsq; corporis necessitatibus. Bene enim Virgilius,

Vina sitim sedent: liberis venus alma creandis
Serviat: hos fines transiisse nocet.

XXV. 2. Ut recta ratio huic necessitati modum praescribat, ne amplius voluptati homines indulgeant, quam naturae necessitas exigit. Nam ut Claudianus de quarto Honorij consulatu recte canit.

— Hanc altam capitis fundavit in arce

Mandatricem operum prospecturamq; labori.

XXVI. II. Quaedam voluptates, perinde ut & actiones sunt honestae, quaedam inhonestae, quaedam intermediae vel indifferentes. 10. Nicom. c. 5.

XXVII. Primi generis voluptates actiones secundum virtutem honestas: Secundi generis turpes vitiorum actiones: tertijs indifferentes, id est, per se nec malas, nec bonas operationes (cuiusmodi imprimis naturales functiones sunt) sponte susceptas, & non impeditas comitantur. Ibid: Magirus pag. 663. Item pag. 943.

XXVIII. III. Quaedam voluptates sunt purae & sincerae, quae nihil habent admixtum turpitudinis aut doloris, ut sunt imprimis verae animi voluptates: aliae impurae & mixtae, quibus etiam inest aliqua turpitudine, vel molestia: ut sunt corporis, vel externorum sensuum & imprimis gustus & tactus voluptates. Arist. Ibid. Golius l. d. pag. 363. Magirus pag. 937. Vives lib. 3. de Anima. pag. 208.

XXIX. Ratio huius divisionis est: Quia quemadmodum operationes mentis puriores sunt operationibus sensuum & corporis: & ipsorum quoq; sensuum operationes aliae alijs sunt puriores, secundum sensuum puritatem:

ita

ita etiam voluptates, quae istis operationibus sunt cognatae, alijs alia sunt praeriores. Golius l. d.

XXX. IV. Voluptatum alia sunt necessariae, quae pertinent vel ad conservationem Individij. *Ut sunt voluptates in cibo & potu vel ad propagationem speciei, ut voluptas in Venere*: alia sunt non necessariae, sine quibus homo esse & vivere potest, quae tamen appetitui sunt gratae, *ut voluptates ex honoribus & similibus*. 7. Nicom. 5. cap.

XXXI. V. Voluptatum alia sunt naturales, quae etiam humanae dicuntur; alia vero non naturales, quae communiter hominum naturae adversantur, pro tempore autem aliquos delectant, qui videntur beluinam induisse naturam, *ut cum quis cadibus delectatur, aut esu carniū humanarum, vel concubitu Sodomitico & his similibus facinoribus*. Ibid.

XXXII. VI. Voluptates sunt vel communes, quae hominibus & animantibus grae sunt; *quales sunt quae percipiuntur ex cibo potu & Venere*; vel propriae, *quae aliquos saltem delectant, & uni alicui vel generi animalium, vel genti, vel aetati sunt peculiare*, pro diversitate scilicet naturarum, de quibus Poeta; *inquit, Trahit sua quemq; voluptas*. 7. Nic. c. 5. Acciaolus in hunc locum pag. 596.

XXXIII. VII. Deniq; animalium specie diversorum voluptates, *quemadmodum eorundem operationes, recte specie distinguuntur*. (Operationibus enim specie variantibus voluptates quoq; *utpote illarum perfectiones, specie variare necessario sequitur*) adeo ut alia sit equi, alia asini; alia gallinae, alia hominis voluptas Dd. l. d.

XXXIV. De hisce voluptatibus tam in genere, quam de hominum in specie hosce canones subijcimus.

XXXV. I. Animalia quidem specie eadem easdem quoque specie & invicem communes habent voluptates. V. G. *Hujus equi voluptas a reliquorum ejusdem speciei individuorum voluptate, non est specie diversa* 10. Nicom. c. 5.

XXXVI. II. Humanorum autem individuorum voluptates, inter se sunt plurimum diversae & specie distinctae. *Nam quae uni jucunda & grata, ea alteri saepe acerba molestaq; accidunt: & vice versa. Non eadem delectant senem, quae puerum, aut adolescentem: Virum, quae mulierem: Theologum, quae militem; aut mercatorem: Sapientem & doctum, quae insipientem & Idiotam: non deniq; eadem delectant virum bonum, quae virum malum & improbum*: Dd. l. d.

37. Etiam si

XXXVII. Etiam si non omnes homines eandem voluptatem expetiscant quoad speciem: Quoad genus tamen expetunt ipsam voluptatem tanquam genus.

XXXVIII. III. Humanarum voluptatum illæ reliquis omnibus potiores & insigniores, imò solæ verè, propriè, simpliciter & per se voluptates sunt, quæ mentis atque boni viri seu virtutum functiones comitantur. Ibid.

XXXIX. Vir bonus, ejus virtus & voluptas omnium actionum & aliarum voluptatum est, & omnino esse debet mensura ac regula. In unoquoque autem genere τὸ μέτρον id est, mensura reliquorum est optimum Ibid. Col. l. d.

XL. Improborum voluptates, quando quidem ex vitiosis & turpibus actionibus resultant, apparenter & secundum quid sunt voluptates, & aliquibus duntaxat, nempe ijs, qui vitiato & corrupto rationis judicio, seu pestifero animi morbo laborant, tales esse videntur. Ibid.

Atq; hæc de voluptate Δευκῶς dixisse sufficiat: nunc quæ de hac materiâ superesse videntur ζητήμασι quibusdam dispiciemus.

QVÆSTIO I.

An ad moralem Philosophum pertineat, agere de voluptate & dolore?

Stamus pro affirmativa. 1. Quia est familiarissima natura humane, & per omnes vitæ partes latissimè diffunditur: nam quæ sunt iucunda sequuntur omnes; molesta abhorrent. 2. Quicumq; considerat finem, à quo unum quodq; simpliciter bonum vel malum dicitur, ille etiam considerabit voluptatem & dolorem: Quia & voluptas & dolor sunt in numero bonorum. Atqui Philosophus moralis finem istum considerat. E. 3. Quia voluptas & dolor sunt generale objectum virtutum & vitiorum, ut supra l. 2. c. 3. monstratum fuit. 4. Voluptas est conjuncta cum summo bono, ut supra lib. 1. ostensum. 5. Voluptas ad virtutem & beatitudinem plurimum confert. 6. Magna de hæc semper fuit inter morales Philosophos controversia, uti sequente questione plenius ostendemus. Arist. 7. Nic. c. 11. 10. Nic. c. 1. Col. p. 281. & 351, Casus in spec. moral. quaest. 1. 10. c. 1. p. 602.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Quid sentiendum de illa controversiâ, quâ voluptatem modò nullam, modò quandam modò omnem esse bonam; sed non cum summo bono conjunctam esse posse, veteres probabiliter quidem dixerunt?

Veteres de voluptate tres hæc potissimùm fovebant opinioniones: nos quid de singulis habendum paucis expeditum dabimus.

1. Quidam statuebant nullam voluptatem esse bonum quiddam, neq; per se neq; per accidens. Rationes pro hac suâ opinione afferebant. 1. Omne bonum habet rationem finis. 1. Nic. cap. 1. *Bonum enim & finis convertuntur. At qui voluptas non habet rationem finis: siquidem communiter definitur, quòd sit generatio & motus ad finem. Generatio autem non habet rationem finis: non secus ac ædificatio non habet rationem domus.* 2. Quia vir prudens & rēperans fugit voluptates 3. Nic. c. 6. *Quodcunq; verò temperans fugit, non potest esse bonum: siquidem virtus non nisi malum vitare solet.* 3. Voluptas prudentiam impedit: Quia est rationi inimica & mentis perstringit oculos. Quod autem prudentiam impedit, illud non est in bonis habendum. 4. Voluptas nullius artis opus est: Siquidem nulla ars eam per se efficere potest; licet media tradat ad voluptatem comparandam. Atqui omne bonum humanum ab arte aliqua proficiscitur: Siquidem Dei indultu artes idèd hominibus sunt concessæ, ut possint sibi varia bona & ad vitam necessaria per eas sibi acquirere. 5. Voluptates à pueris & bestiis expetuntur, quæ ducuntur solo sensu. At verum bonum non sensu; sed ratione est estimandum.

Econtra aliquas voluptates esse bonas ex Philosopho. 7. Nic. c. 12. de facili ita ostendimus.

1. Quodcunq; malo opponitur id est bonum. Voluptas opponitur dolori, qui malus est. 1. & π λ ω ε simpliciter. 2. π η aliquo modo, quatenus nimium actiones impedit; siquidem ijs plerumq; homines absterrentur ab honestis actionibus. 2. Nicom. c. 3. Ergo quadam voluptas est bona aut dolor non erit malus. 7. Nicom. c. 13. 2. Si nulla voluptas est BONVM: Ergo neq; voluptas, quam vir bonus percipit ex actionibus virtutum, erit bona, aut expetenda: neq; tales actiones essent reverà jucundæ: atq;

B

hos

*hoc modo vita viri beati non magis esset jucunda, quam enjuspian alterius vitæ.
Atqui absurdum hoc. Ergo. 7. Nicom. c. 13.*

3. Ex naturâ & distributione bonorum. *Quemadmodum enim bonum aliud simpliciter est tale, aliud alicui bonum & secundum quid: Ita & Natura & habitus bifariam se habent: & sicut se hæc habent, ita operationes quoque ex ijs manantes se habere necessum est. Effectum enim sequitur naturam suarum causarum: & qualis causa tale & effectum. Voluptas autem est operatio quedam vel naturæ vel habitus. Ergo voluptatem aliam simpliciter bonam, aliam alicui bonam esse oportet. 7. Nic. cap. 12.*

4. Ex aliâ bonorum distributione κατ' ἐὺς γοφῶν. *Si omne bonum vel est habitus, vel operatio ab habitu profecta: igitur etiam aliquis habitus erit bonus, & aliqua operatio bona. Rursum, si quedam operatio bona, jucunda & cum voluptate conjuncta est; utique & quedam voluptas bona dici poterit. (Sunt autem duplices operationes: 1. Quædam proficiscuntur ab habitu seu natura integra: quæ jam ad suum statum & quasi perfectionem est perducta, ita ut nullâ labore indigentia; atque tales operationes sunt simpliciter jucundæ. 2. Quædam pertinent ad defectum naturæ restitutum: atque tales non simpliciter, verum per accidens sunt jucundæ, quatenus per eas restringitur dolor qui ex defectu indigentis naturæ sentitur, ac per repletionem quam comitatur voluptas tollitur. 7. Nic. c. 12.*

Proinde veterum rationes pro adstruenda *negativa questione* hujus sine negocio destruimus. Et quidem primò negamus, voluptatem esse generationem. 1. Quia hæc est substantiarum, lib. 5. Phys. acromat. c. 2. t. 8. 9. & lib. 1. de generat. & corrupti c. 3. t. 13. Est enim generatio motus à non esse ad esse: per quem à corruptione alicujus substantiæ, alia generatur. Per voluptatem autem nulla substantia neque generatur neque corrumpitur. 2. Nulla generatio est perfecta operatio, cum solum tendat ad perfectionem. Sed quedam voluptas est perfecta operatio, nimirum quæ ex naturâ integrâ & habitu perfecto proficiscitur; utpotè à perfectâ sanitate, vel à virtutibus. Istiusmodi enim *ἡδέπεια* propter se, non propter aliud expetuntur. Quoad reliquas tamen voluptates quæ ex desiderio naturæ aliquâ re indigentis ad defectum illum sariendum suscipiuntur, quales sunt in cibo & potu prolixè largimur, quod non sint ipse finis aut perfectio hominis, sed tantum quasi progressus ad perfectionem.

Ad secundam & tertiam rationem per distinctionem respondemus. Nam voluptatum aliæ sunt veræ & per se tales, aliæ per accidens. Item aliæ sunt bonæ & honestæ; aliæ turpes & vitiosæ.

riosa. Iam 1. temperans turpes solum voluptates fugit, honestas
autem expetit: si enim omnes fugeret voluptates, peccaret in excessu & fieret
stupidus. 2. Neq; prudens licitas voluptates asperna-
tur. 3. Bestia & pueri, quia tantum sensibus moventur, ideoq; veras volu-
ptates, quae ex virtutum actionibus promanant, non possunt agnoscere, neq;
expetere: & proinde ex illorum iudicio de voluptatibus nihil est statuendum.
Et sic tres istae rationes nihil faciunt contra ad veras & licitas voluptates.
Quoad quartam rationem similiter distinguimus Voluptates enim
vel sunt propriae unius cuiusq; actionis circa quam versantur, vel
alienae. Propriae voluptates actionem non impediunt, sed magis juvant
& promovent: quia agentem in agendo reddunt alacriorem: quod adparet
manifeste in iis, qui cum voluptate aliquid agunt: Alienae vero non solum
prudentiam & consilium impediunt, quemadmodum Cicero in Catone
Majore dicit, verum etiam ipsam virtutem quasi extrudunt. Falsum proin-
de est veram voluptatem prudentiam impedire. 7. Nic. c. 12. Quintam
rationem partim concedimus, partim inficiamus. Concedimus:
quia non est absurdum voluptatem propriae arti adscribi non posse, cum volu-
ptas sit operatio quaedam; ars autem non sit propriae causa operationis; sed o-
stendat solum viam & modum operandi. Inficiamus: Quia falsum est,
1. Omne bonum esse artis opus, seu ab arte aliqua proficisci: siqui-
dem sunt multa bona naturalia, quae ab arte non proveniunt & existunt. 2.
Sunt omnino aliquae artes ad voluptatem excitandam inventae,
ut unguentaria, culinaria, Musica, ars pingendi &c. Et tantum de prima opi-
nione.

11. Alij statuebant quasdam voluptates bonas, plerasq; autem
malas esse. Rationes erant. 1. Quia voluptates plerumq; sunt tur-
pes & quam plurimae nobis probro esse solent. Quicquid autem est
turpe & probrosum non potest dici bonum. 2. Quia ut plurimum ho-
minibus sunt noxiae, morbos conciliant & secum trahunt & famam in-
super ledunt.

Sed & hic respondemus cum Philosopho. 1. Distinguen-
dum esse inter voluptates, quarum quaedam sunt honestae quaedam turpes.
2. Voluptates per se non esse noxias; sed tantum per accidens, quatenus
sunt vel turpes vel immoderate. 3. Non omne noxium esse malum.
Etenim diligens studium nocet interdum valetudini: non est tamen propte-
rea & per se malum. Vinum nocet febricitantibus; non tamen ideo est malum.

Cibi salubres nocent rei familiari, propterea quod majori pretio comparantur; sed tamen non sunt mali.

I II. Reliqui concesserunt voluptates quidem inter bona numerandas esse, sed nullam illarum cum summo bono conjunctam esse posse. Ratio, Quia summum bonum est ultimus finis seu perfectio hominis. At qui voluptas ex sententia veterum non est finis; sed definitur ab illis generatio sensibilis ad naturam restorationem.

Respondemus & hic, non quidem voluptatem esse summum bonum, nec essentiam aut partem ejus: interim tamen eam esse affectionem aliquam, quæ à summo bono non possit separari, cum Philosopho quatuor hisce rationibus adstruimus.

1. A definitione voluptatis: *Omnis operatio habitus secundum naturam non impeditur, illa est summum bonum, aut saltem illi semper conjuncta. Suprà enim definitum fuit summum bonum, quod sit operatio animi secundum virtutem perfectam. At qui quedam voluptas est operatio habitus secundum naturam non impeditur. Ergo.* **2.** A communi Philosophorum opinione. Quia plerique Philosophi, vitam beatam etiam jucundam esse censent, atque ita voluptatem tanquam individuum comitem cum beatitudine connectunt, & quidem non sine ratione. Nulla enim operatio perfecta est impedita: ideoque beatitudo cum sit operatio perfecta, sequitur quod indigeat bonis corporis & fortuna ne impediatur. **3.** Si in summo bono nulla voluptas esset, felix certe sine voluptate viveret: eademque de causa viveret in dolore & molestia: nec denique viri boni vita jucundior esset, quam cujuslibet flagitiosi hominis. Quæ cum absurda sint, sequitur summum bonum voluptatem esse ac bonum jucundissimum appellandum. **4.** A naturali appetitu omnium brutorum & hominum. Quia non solum homines sed etiam cuncta animalia bruta voluptatem expetunt: & hoc communi appetitu naturaliter ipsis insito, quasi tacite indicare videntur, eam habere rationem summi boni: etiamsi veram voluptatem neque intelligant neque expetant: sed tantum eam quæ sensibus ipsorum videtur esse grata & jucunda. Videatur l. d. Piccol. g. 9. cap. 17. 18. 19. Et tantum de hac questione.

QVAESTIO III.

An voluptas sit motus?

Pro

Pro negativa facimus cum Philosopho, eamq; stabilimus.
 1. Omnis motus circulari excepto, l. 8. Phys. c. 10. t. 56. est imperfe-
 ctus. l. 3. Physic. c. 2. t. 6. & 15. voluptas autem quaedam est perfecta, ea ni-
 mirum quae ex virtutum actione provenit. 2. Omnis motus fit in tempo-
 re l. 4. Phys. c. 12. t. 112. Voluptas etiam in momento fieri potest: mo-
 mentum autem non tempus est. l. 4. Phys. c. 17. t. 107. sed temporis principi-
 um. 3. Motus & temporis partes non possunt dividi l. 5. Phys. c. 1. t.
 3. Voluptas verò in totum est impartibilis, nec partem extra partem habet.
 Quin ergo è Philosophi sententia voluptas non erit motus, non gene-
 ratio, non naturæ indigentis repletio: sed signum operationis
 perfectæ & finis subsequens: quia voluptas semper perfectam
 operationem comitatur tanquam accidens quoddam in separabi-
 le. Ut enim sanæ operationes designant sanitatem, & venustas corporis flo-
 rentem ætatem: ita voluptas operationem perfectam. Arist. 10. Nicom. c.
 4. Acciaolus in hunc locum p. 838. P. Martyr. Classe 2. loc. com-
 mun. c. 2. pag. 329. & seq.

QVAESTIO IV.

An ergo voluptas sit operatio; an verò operatio-
 nis signum?

Utrumq; habet Philosophus: & quidem prius 7. Nicom.
 c. 12. posterius verò. 2. Nicom. c. 3. At quomodo hoc utrumq; simul stabit,
 citra contradictionis implicationem? Equis enim est, qui signum & rem si-
 gnatam differre nesciat? Proinde si voluptas est operatio, utiq; non eius si-
 gnum, non finis eius erit.

Pro conciliatione respondemus, voluptatem quidem non
 per se esse operationem, sed esse operationis quoddam accidens,
 quod eam sequitur, tanquam color superficiem, (exi h. s. 6.) ut & præ-
 gressa etiã questione diximus. Definitur autem voluptas operatio: quia
 operatio & voluptas sunt idē τὸ ὑποκειμένον & subiecto: distinguuntur ta-
 mē τὸ λόγῳ & ratione quia aliud operatio est earatione qua operatio est, &
 aliud voluptas earatione qua voluptas est: & diversa eis competūt: volu-
 prati quidem, ut dicatur cum operatione iuncta: operationi autem, ut hæc
 sit quoddam subiectū, cui voluptas inheret. hoc q; modo voluptas dicitur opera-
 tionis finis subsequens: & hic finis si operationem sequatur, certissimum si-
 gnum

gnum est operationis perfecta, quæ proprie in habitu consistit. Concludimus ergo diversa consideratione voluptatem nunc operationem, nunc ejusdem signum; aut etiam operationis mensuram adpellari posse. Videatur Piccol. g. 9. c. 22. fol. 799.

QVÆSTIO V.

An corporis voluptates sint simpliciter malæ?

Negamus & hinc cum Philosopho. Negationis ratio præ multis hæc una ab absurdo petita. Si enim corporis voluptates sunt malæ, sequitur corporis dolores esse bonos. Contrariorum enim contraria est natura & qualitas. Sed consequens hoc est absurdum, id quod ipsa universali experientia comprobamus. Omnes enim in genere iudicant dolores corporis, sive magni illi sint, sive parvi, esse malos & fugiendos non propter excessum, quemadmodum voluptas; sed simpliciter. Ideoque dolor non proprie propter excessum voluptati est contrarius; sed simpliciter ei opponitur, quemadmodum bono opponitur malum.

Notandum tamen voluptates corporis dici bonas duplici ratione. 1. Propter negationem mali: quia non sunt malæ: quicquid autem malum non est, illud omnino aliqua ratione dicendum est bonum. 2. Cum limitatione: Quatenus intra terminos suos sese continet, neque excedunt modum, quem recta ratio præscribit & naturæ necessitas postulat. Hunc enim modum quando excedunt, desinunt esse bonæ. Aristot. 7. Nicom. c. 14.

QVÆSTIO VI.

I. Præstantiores ne sint animi, quam corporis voluptates, & num illæ magis quam hæ oblectent?

A. Affirmamus utrumque.

Præstantiores sunt. 1. Quia illarum non potest esse excessus vitiosus, cum proficiantur ex actionibus virtutum & nulla virtus nimia esse possit; harum vero improbi sunt quidam excessus

cessus. 2. Illæ percipiuntur ex rebus τῆ φύσεως ἢ ἀπλῶς sua naturâ iucundis, & proveniunt ab operatione perfectæ naturæ. Hæ verò procedunt ex rebus solum per accidens iucundis, quatenus nimirum sunt medicinæ naturæ imperfectæ & indigentis. Jam verò ea quæ ex causa per se existunt, præstantiora sunt, quam ea, quæ per accidens. 3. Illæ nunquam habent adiunctum dolorem, hæ verò sæpius &c.

II. Magis oblectant. 1. Quia corporis voluptates in sensu sunt; Animi voluptates in intellectu. Quamto ergo intellectus sensu est præstantior, tanto etiam magis afficiunt & delectant animi voluptates. 2. Animi voluptates diuturniores sunt corporis voluptatibus. Magis igitur etiam oblectent. Cito enim abit, quod ex gustu vel tactu iucundum percipitur: ac quamvis vel gravis collum alicui contingeret, quod sibi optavit Philoxenus, diuturnioris voluptatis gratiâ percipiendæ, momentanea illa tamē esset voluptas. At diutissimè oblectant, quæ ex scientia & virtute percipiuntur voluptates. Magis enim & fortius uniuntur Intellectui objecta intelligibilia, quam corporis voluptates iunguntur sensui: nempe nullam aliâ ob causam, quàm quia intellectus est immaterialis; sensus verò materialis: atq; iccirco non ita intelligendo defatigatur intellectus, sicuti sentiendi sensus debilitatur.

QVÆSTIO VII

Cur pleriq; homines magis corporis expetant voluptates, quàm animi?

Dictum est iam animi voluptates longè diviniore, longè nobiliores esse, quam corporis istas: quid sit ergo, quod homo rerum suarum ita extremè prodigus & quasi humi defixus, hæc potius quàm illas expetiscat? Huius rei ex Philosopho damus has rationes. 1. Quia homines existimant voluptates corporis esse medicinas quasdam adversus dolores, qui naturæ molesti sunt, quosq; omnes natura averfamur & à nobis repellere studemus. Quemadmodum enim contra omnes alios morbos; qui naturam ledunt: sic etiam contra dolores homines expetunt remedia. Cum verò dolori voluptas sit contraria: idcirco per voluptatem existimant homines se posse dolores corporis aut expellere, aut certe lenire. Contraria enim contrariorum sunt remedia: & contraria contrarijs curantur. 2. Quia voluptates corporis

potius magis afficiunt sensus, quam animi, que animum duntaxat aliqua delectatione perfundunt. Atqui maxima pars hominum ea tantum quaerit, que sensibus sunt grata & iucunda, quaeruntque oblectare & recreare possunt. uti patet in iis, qui ut suavius edant & bibant famem ac sitim condimentis quibusdam aut alijs rationibus accersunt. Arist. 7. Nicom. c. 14. Casus in Spec. quaest. moral. l. 7. c. 14. pag. 494.

QVÆSTIO VIII.

Cur non idem semper hominibus sit gratum?

Rationes huius rei afferimus hasce. 1. Quia corpore & anima constat homo. Atqui hæc duo ut sunt diversissima (aliud enim est immortale; aliud mortale: aliud simplex, aliud compositum: aliud corporeum, aliud incorporeum) ita eidem homini secundum duas istas partes non possunt esse eadem grata & iucunda; sed aliud animo, aliud corpori gratum & molestum est. 2. Corpus nostrum cum ex quatuor Elementis constet: & hæc qualitates habeant contrarias: ideo etiam fit ut variis imò sæpe contrariis rebus homo adficiatur & delectetur. Arist. lib. 2. de gen. & corrupt. c. 3. t. 22. 3. Quia natura hominis est prava & vitiosa. Bonum enim est semper sibi simile & uno eodemque modo se habet, imò quod magis est aliquod bonum, eo magis est simplex. Malum autem multiplex & varium est. Ergo vicissitudo & varietas rerum hominum naturæ propter pravitatem suam iucunda esse videtur: perinde ut homo malus atque improbus mutabilitatem atque inconstantiam amat. Arist. 7. Nicom. c. 14.

QVÆSTIO IX.

Cur nulla voluptas sit perpetua?

Supra th. 12. causam hanc posuimus, quod homo in operatione defatigetur, unde tandem cesset actio: Cessante autem actione & operatione cessat etiam voluptas consequens & fructus bonæ actionis.

Verum regeri hic potest, verum idesse de operationibus proficiscentibus ab organo corporeo & sensitivo: nunquam verò de intellectu hæc affirmari posse, quippe qui instrumento corporeo non indiget. Sed nec hic deest, quod respondeatur. Etsi enim intellectus in se per se consideratus non defatigatur, nulloque instrumento corporeo in propria sua

pria sua utitur operatione: utitur tamen ijs, quae sunt in illis instrumentis.
Intelligens enim, ut docet Philosophus in libro de anima, Phantasma specula-
tur, quod instrumentis illis suppeditatur. Vnde nihil operantibus illis, cessat et-
iam operatio intellectus Arist. 10. Ethic: cap. 4. Acciaolus p. 845.

QVÆSTIO X.

An homines vitam expetant propter volupta-
tem an verò contra voluptatem pro-
pter vitam?

Affirmamus posterius. 1. Quia voluptas oritur ex eo, quod actio
cum natura congruit, & id sentimus atq; cognoscimus: Quare id ante omnia
expetendum est, ut actio habeatur perfectissima 2. Nec ignorat quiquam per-
fectionem institutam, propter id quod perficit, praesertim cum sua natura nul-
lam constantiam habeat. Et omnes vident cibum ipsum praestabiliorem esse suo
condimento. Martyr. l. d. p. 333. Acciaolus p. 846.

QVÆSTIO XI.

Quare voluptates à Deo hominibus sunt
datae?

Nos causas hasce ponimus. 1. Quia vita per illas ducitur com-
modius, & opera vitae necessaria & conservationem generis libentius obimus
medicamurq; promptius quotidianis nostris defectibus. 2. Iuvenes honestis
& moderatis voluptatibus ad honesta officia & praeclaras actiones incitantur,
doloribus verò à virijs & sceleribus absterrentur. 3. Addit Augullinus has in-
firmas voluptates Dei quaedam vestigia esse, & naturae felicitatis ac summi bo-
ni tenuem umbram, qua possumus incitari ad illius vehemens desiderium.
Valent itaque voluptates ad nos expergefaciendos, in quibus
tamen insistendum non est, verum ad meliora potiùs assur-
gendum. Utq; in his non maneamus, Deus adeò bonus est ut ar-
ma permulta his voluptatum generibus asperferit. Clichtov. in
Introd. Fabri. stapul. p. 55. Martyr l. d. p. 332. Idem in lib. 1. Et-
hic: Nicom. c. 8. p. 166.

¶

Sed

sed nec hanc de voluptate materiam, nec reliquas nostras Ethicæ exercitationes fusiùs deducere iam nostri est instituti. Subsistemus ergo hic, sicut Diogenes, qui cum in lectione authoris ad ultimam pagellam pervenisset: Elto, inquit, mihi Deus meus summum bonum & summa voluptas.

DEO SOLI SAPIENTI, SOLI
Sancto & immortalì, soli purè ac sincère
beato, soli omnis pietatis bonique
authori, sit gloria seculis
indefinitis.



ἡγοσφώνησις Anagrammatica.

ORNATISSIMVS ET
DOCTISSIMVS FRIEDERICVS
LEISERVS BRVNSVIGIA-SAXO,
RESPONDENS.

Ex quo sequens exactè distichon
provenit.

VNVS ERIS SVMMI SVBOLES GENEROSA PARENTIS,
ARX FORTIS; DOCTIS SIS DECVS INDE VIRIS.

S Cilicet in sobolem virtus Heroica Patrum
Tradita cum lactis munere, pondus habet.

Patria vis in equis: bona mens bona sensa figurat.

Ex Patre Heroas sic Leo sumit opes.

Te quoq; in exempli specimen, LEISERE, vocabo,

LEISERE, Aonij dulcis ocella chori.

Nonne in te Magni virtus generosa Parentis,

Transiit & matris fluxit ab uberibus?

Prorsus ita est. Vox hac Dodonâ certior ipsâ,

Quam probat ingenij fertilis Hybla tui.

Hinc animi fervore tui atq; cupidine totâ

Surgis, & Aonio totus in amne lavas.

Hinc quoq; virtutem cura omnis anhelat ad unam,

Impletura brevi spemq; minasq; tuas.

Hoc desiderium representare parentum

Perge, tuosq; piâ mente referre duces.

VNVS ERIS SVMMI SVBOLES GENEROSA PARENTIS,

ARX FORTIS; DOCTIS SIS DECVS INDE VIRIS.

ἡλικίας ἐνεκα apposuit

M. Henric-Julius Strubius,

Henricopoli-Saxo.

Juveni

Lectissimo, Ornatissimo,
Dn. FRIDERICO LYSERO
Ethicè disputanti,

Magnum equidem ingenuas perdiscere gnaviter artes,
atq; animo memori firmè servare repostas:
Magnum equidem: neq; huic nisi sua præmia desunt.
Majus at his de ipsis placidos miscere frequenter
sermones, veri specie ne fallat & umbra
nos falsum, vana & vafre deliria ludant.
Nempe, supervacua, ut, quæ sunt, falx vitibus aufert,
ast quæcunq; fovent factus, his parcere novit:
Haut aliter rebus, quæ ducit opinio inanis
incautas variè mentes à tramite recto,
amputat, ast *solidum* linquit *verum* atq; tuetur
fortiter, obfirmans benè, dissertatio docta.

Sic Tua mens, sic vox, Magni, FRIDERICE, *Parentis*
præclara ô *Suboles*, *Gratiis* peramateq; *Musis*.

Hinc Tibi quæ pridem sunt puris auribus hausta
anxius exquiris, rationi congrua signans:
nititur at falsum contra? sat discutis auso
felici. Ingenuæ virtus ô *Enthea* mentis!
Perge hac ire viâ, quâ non TE dignior ulla:
Perge age! non lucri TE spes lactabit inanis.
Dignos laude vetat juvenes sacra Musa perire

φιλοφιλίας χάριν
ἐχεδίας

Philippus Horstius Brun-
svigâ - Saxo.

Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe

an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17





9

TIO XVI.
VE ULTIMA.
NUM ETHICARVM
DE
PTATE.
ecimo Ethicorum Nico-
n depromta,
am.
E ET DOCENTE
nia VVitebergensi
S I D E
VELSTENIO,
is Professore Publico
lam suscipiet
S L Y S E R V S
gá-Saxo.
locoq₃ consuetis.
ETHICÆ:
areat
suum.
ed quod licet:
ed quod decet.
Mullerianis, 1608.